

**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Cap. XI. Probationes Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo,  
desumptæ ex Canonibus, vel Statutis Synodalibus, quæ prohibent, ne quis  
à Synodo discedat sine licentiâ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

## CAPUT XI.

*Probationes autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, desumptæ ex Canonibus, vel Statutis Synodalibus, qua prohibent, ne quis è Synodo discedat sine licentia.*

Iatas perpendant, ut justitiam unicuique, quidquid in contrarium possit evenire, reddant: postea omnibus Clericis præcipiebat, qui querelas deferre debebant, ut accederent. Hæc autem Synodus de his querelis judicabat, & ut judicia proferenda erant ante cometionem, qui ad Synodum accessuri erant, monebantur, ut jejuni adfessent. Quia modò de hoc monito facta est reflexio confirmatur Canone, qui legebatur secundo die, de jejuno requisito in Synodi Patribus, ut pote Judicibus: in eo refertur, à Judicibus nisi jejuni Leges & Judicia decerni non posse. Hic Canon Concilio Nicæno tribuitur, quamvis in primo & secundo desideretur.

Antequam hujus Canonis lectio fiat, defecū Clericorum, qui querelam conferant, intromittendos esse Laicos, qui querelam proferant, additur, & secundum duci Synodus absolvitur judicio harum querelarum, ut Synodus primi diei simili judicio absoluta fuerat.

Post preces Synodi tertiae diei, monentur ii, qui habent querelas deferendas, eas hoc tempore defenant & sic Synodus tertiae diei solvitur.

Ex hoc Formulari desumptæ probationes adeo claræ sunt & tanta authoritatis, ut ad probandam secundi Ordinis autoritatem in Diœcesana Synodo sufficerent: verum, quod omnino necessarium non est, inutile non erit; quapropter quædam adjicientur desumptæ vel ex Yvone Carnutensi, vel ex Eudes de SULLY Parisensi Episcopo, vel ex Concilio Burdigalensi Anni 1583. Primo, postquam Yvo Carnutensis, *Emissa 61.* dixit, sua Ecclesiæ usum esse Synodum congregandi septimino Calendas Novembres, id est, die vigesimo sexto Octobris, his verbis quid in ea agatur, exprimit: *In Synodo de negotiis Ecclesiasticis & pace totius Patriæ multa nobis sunt tractanda, quæ sine praesentia nostra, vel non tractarentur vel tractata non terminarentur. Hæc voces, & pace totius Patriæ, sunt attectione dignæ; ostendunt enim Synodum agere partim de modo terminandarum controversiarum, quæ pacem Regni turbabant.*

*Eudes de SULLY* suorum Statutorum Cap. II. num. 4. prohibendo Parochis, ne causas adducant ad Synodum, aut aliqua negotiis, quæ ad quosdam non pertinent, innuit partim occupatas esse in judiciis ferendis.

Quod spectat Concilium Burdigalense, satis innuit unam è Synodi functionibus positam esse in litium iudicio, cùm loquitur de provocacionibus ad Synodum delatis; cùm provocations Judicis spectent tribunal de litibus judicandis. Hæc verba præcedenti Capite relata sunt. Hocce in Concilio aliud extat testimonium non minus grave; in eo enim legitur, Laicis permitti scripto, vel verbo, querelas suas Synodo proponere, modò earum querelarum iudicium ad Synodum pertineat. Utrumque testimonium desumptum videtur è Synodo Augustana D'Augsbourg, anno 1548. Tit. xxxiiii, cum idem & iisdem terminis hac in Synodo exprimatur.

Absolvetur hoc Caput aliquibus elocutionibus, quæ in Occidente, universaliter gaudent auctoritate, cùm desumantur è Pontificali Romano generatiter recepto. Leguntur pag. 513. in Oratione, quam habet ad congregatos Episcopos: indicant autem, in Synodo congregatos, veluti Judices haberi: tanti sunt ponderis in gratiam Secundi Ordinis in Synodo Diœcesana auctoritatis ut ipsa referre mihi visum fuerit: *Ita ut nec discordans contentio ad subversionem iustitiae locum inveniat, neque iterum in perquirenda veritate vigor nostri Ordinis vel sollicitudo tepecat.* Idem fere est hic sermo, ac illè, qui supra relatus est, sub nomine Concilii de Salzburgi.

Post tot probationes & tam claras, Synodum partim versari circa iudicia litium capitalium & civilium, nullum suboriri potest dubium, quin Secundus Ordo in ea aliquam exerceret auctoritatem: Cùm, ex una parte, vanum si iudicium sine auctoritate latum, & ex alia parte, Synodus sit Conventus Hominum Secundi Ordinis.

Hic adhuc reperitur convenientia Diœcesana Synodi cum Conciliis Provincialibus: ut enim probavi penultimam... incidentium Questionum de convocatione Nationalium Conciliorum, Canones prohibuerunt Patribus Conciliorum Provincialium, ne sine iusta causa, & sine licentia, è Concilio discederent, imò in eos severè animadvertis, qui hanc admittent culpam: nunc sum probatus, reperi Canones & Statuta Synodalia, qua prohibit, ne quis è Synodo sine licentia discedat. Verum antea observandum est, duplices esse generis: alii enim claram faciunt mentionem de exceptione casis, in quo à Superiori licentia obtinetur: alii eam silentio prætermittunt. In illis, subintelligitur *cum juris sit*: ad hæc observandum est, formulam ad celebranda Concilia adhibitam, suprà relatam, posse & debere collocari inter Canones vel Statuta Synodalia; quia credendum est ab aliquo Concilio, aut Synodo fuisse præscriptum.

Hoc supposito, à verbis hujus Formulæ incipio, cum nihil antiquius proferendum habeamus. Leguntur in Monitis qua dantur Patribus Synodi, fine Conventus primi diei: *Admonendi sunt Patres Synodi, ut nullus à Cœtu communī secedat, antequam generalis sessione adveniat.*

Synodus Lingonensis 1404. claris verbis de necessitate hujus licentia loquitur, ut quis posset ante Synodo finem recedere. Hæc sunt Synodi verba. *Nullus de Viris Synodalibus recedat à Synodo, quousque fuerit data licentia recedendi, nisi ex causa necessitatibus petita ab Episcopo, & obtenta recedendi licentia.* Eadem prohibitus videtur in Synodis Senonensi 1524. & Carnutensi 1526. *A Synodo citrā urgenter necessitatem, neminem recedere volumus, priusquam ē Choro, in quo celebratur Synodus, egressi fuerimus.*

*Sanctus CAROLUS*, in sua Quarta Synodo, habitâ anno 1574. excipit etiam nominatum casum licentia, à prohibitione quam facit discedendi ante Synodi finem: *Quo tempore habetur Synodus, ne cùquam Sacerdoti, Cœro Mediolano discedere licet, nisi missione à nobis impetrata: Quod jam fecerat Tertiæ Synodi inductione.*

Culpa, quam admittit, qui è Synodo discedit sine causa, aut sine licentia, tanta visa est Patribus Concilii Aquensis anni 1585. Tit. de Synodis Diœcesanis, ut excommunicationis pena proponatur iis, qui illam admittunt; à Synodo pena excommunicationis proposita, nullus discedat, nisi eâ finita, & de more benedictione ab Episcopo data. Nullum est dubium, quin una ex causis severitatis oriatur ex eo, quod, in Synodo, mores, vestes, vita eorum, qui aderant, examinaretur. Sic uniuscujusque praesentia necessaria erat usque ad finem, tum ad dandum suum consilium in iudicio, quod dé alius ferebatur, & in eis, quæ pro eorum correctione præscribebantur, tum ut responderet iis, quæ ipsi objiciebantur, denique ad recipienda Monita quibus indigebat. Re ipsa hoc examen præcipitur, illudque non sine animadversione fieri debet addit; *Censura ibi fiat de singularum moribus, vestitu, vita, ac infligatur potius pena personalis, etiam carceris, ubi opus fuerit, quam pecuniaria.* Hæc consideratio posset extendi ad simplicem prohibitionem factam à Synodis suprà relatis, credendi enim locus est, eodem niti fundamento. Sic concludi potest Secundum Ordinum, aliquâ in Diœcesana Synodo auctoritate gavimus fuisse.